

men, ac memoriam Christi contemptam, ac odiosam apud plebem, quæ externa tantum respicit, iisque solum mouetur, redderent, ad crucifixionē, in consueto Caluariae loco peragendam, damnari & educi Christum petiuerunt.

Deus Pater verò huc respexit, vt typi veteris T. implerentur. Qua de re vide pulcherrimum locum in epistola ad Hebr. cap. 13. II. & c. *Quorum animalium sanguis infertur pro peccato, in sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra. Quapropter & Iesus, vt sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam, & c.*

In educatione hæc præcipuè acciderunt. 1. Christo propria crux baiulanda imponitur. 2. Inter duos latrones educitur. 3. Simon Cyrenæus ad subleuandum eum adigitur. 4. Mulieres deflent eum. 5. In via Christus breuem verbis, at grauissimam spiritu ad mulieres, & sequentem populum concionem habuit.

Quod propriam crucem gestat Christus, in maiorem eius abominationem factum est. Adeo enim exosum hoc supplicium inter homines fuit, vt nemo vel extremis digitis crucem damnatorum tangere voluerit: vnde & Simon Cyrenæus non volens, sed coactus Christum subleuauit.

Deus pater verò rursus in summa hac Filii sui ignominia, illustrissimos gloriæ diuinæ radios oculis fidelium immittere voluit. Producit enim filium, coram mundo quidē *καταρα* factum, at coram se victoriæ, & triumphus sui vexillum ferentem; item illum eum esse ostendit, de quo Propheta: *Principatus eius, super humeros eius.* Quod inter duos latrones educitur, eo omnium sceleratissimum ipsum esse, ideoq; maximè abominabilem, declarare hostes voluerunt.

Propriam autem crucem ad locum vsq; executionis supplicii portare non voluit, quia requiescente *λόγος*, caro nimium erat debilitata. In reliquis enim passionib. iam virib. fuerat exhaustus, vtpote tristitia illa, & mœrore, item lucta illa, & agone quem in horto sustinuit, item, quia totam præcedentem noctem info-

info-